iterata, contemptum terreni fastus, continuam coelestium
rerum meditationem? quanto vero amplius, et perfectius in
Virgine? quanta in perferendis iniurijs tolerantia, quanta
in suos inimicos et et acerrimos persecutores Benignitas?
Moyses irritatus populi nequitia irascebatur, haec nunquam.
Ille Pharaonis duritia commotus exarsit, minas intentauit,
nil minus ista; ille erga versipelles saltem asperior, vehemen-
tiorque audiebatur, ab hac erga quoscunque nil nisi mansueta
nil nisi mite processit, nil asperum, nil terribile. Semper
Mentem agebat. Sed hoc solebat ieiunare creberrime, meditari
semper, hominum consuetudines nescivit. Angelum in propria
specie coluit, in aliena expauit. Quid denique miramur
in S. P. Benedicto? Sublimitatem sensus? in Augusti-
no amorem? in Francisco humilitatem? Sed quasi quid sub-
limius illa? quae inter omnes creaturas proxime ad Divini-
tatem accessit? quid ardentius ea, quae nunquam per quas-
cunque afflictiones vel latum unguem potuit separari à
charitate Dei? quid denique humilius illa, quae se ancillam
ore dictitabat, et re demonstrabat? Videor sane sufficien-
ter demonstrasse quam longe Virgo alios sanctissimos
post se relinquat, quod vel inde clarius apparet, licet
nonnulli maximo, splendidissimoque variarum virtutum
niteant fulgore, tamen istud lumen perpetuo illis fulgere
non solet, sed nonnunquam obnubilatur, unde et in An-
gelis ipsis reperta fuit quondam pravitas. B.ma vero V.
Maria nullius unquam criminis sensit contagium, hac
Divina gratia vel modice spoliata nunquam fuit. As=